RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
WILHELMUS DAVIDES HABERMANNUS,
MED. D. EJUSDEMQ; PROF. PUBL. & POLIATER:

AD

GEMINAM TOTALEM SANCTAMQVE



OLIS ECCLIPSIN

Sobrie piè devoteqve

Contemplandam atq; Adorandam

O. O. CIVES ACADEMICOS invitat.



ſtochii Typis Joh, Wepplingii, SER, PRINC. & ACAD, Typogr.



Iu qvidem Aſtra, Vaſtiſſimæ illæ Mundi Moles, â primô ſtatim exortu ſuo, partim provida Architecturâ & ſitu, partim mirando pulcherrimorum Luminum motu, DEI ARCHITECTI SUI, OPTIMI MAXIMI PROVIDENTIAM indeſinenter laudaverant; & ut ÆTERNITATIS GLORIAM non ſibi, ſed JLLI SOLI adſererent, ſuæ vero interitui qvaſi præluderent, ſibi invicem per vices mutabile lumen ſæpè ſuum eripuerant: cum SOL SOLUS Centrum illud Univerſi, & Lumen inter Mundi Lumina Maximum, obſcurationem ſui nondum ſenſerat unqvam. Obtigere qvidem eheu! ut nunc ita olim ab exordio usq; Mundi ſat multæ (ita dictæ) Solis Ecclipſes: quæ tamen reverâ *non ipſius Solis* (ſed potiùs Terræ) *Obſcurationes ſunt, fiunt enim â Lunâ* (dum tempore Novilunii directè ſub ſole, motu ſuo ponitur) *Solem obtegente* & oculis noſtris occultante.

Et *Ejusmodi Solis Ecclipſin minabatur Terræ huic noſtræ Primus ſtatim Mundi dies Natalis*; id qvod myſticum eſt, atqve ratione & calculo demonſtratur. Si enim DEUS primô Mundi die ex utero primigeniæ Lucis (in qva re verâ jam tum omnia Mundi Lumina virtualiter aderant) Solem Lunamqve produxiſſet; atqve loca, normamqve eandem motuum immutabilem (qvalem in corporibus cœleſtibus nunc obſervamus) ſervaſſet, tum utiqve magna Solis Ecclipſis extitiſſet neceſſariò. Retrò enim ſubducto calculo eoqve conſtituto ad diem Mundi primum (ad inventum Aſtrochronologicum, *Celeb*: D: *Waſmuthi*) Sol & Luna tum inveniuntur in uno eodemq; Æqvinoctii Vernalis gradu. Sed SAPIENTIA ÆTERNA, qvæ dies numeravit anteqvam eſſent Geneſ: I, v. 5. 8. 13. Qvæ Luminibus Ecclipſes (ad JUSTITIÆ SUÆ normam) Luc. XXI. 25. Sed Lumen Terræ (ad GRATIÆ SUÆ menſuram) admenſa eſt, anteqvam & Terra & Lux adeſſent; qvæ hunc *Primum diem* (Solis ſeu feriam hebdomadic. primam) Deſcenſui CHRISTI in in carnem noſtram An. M. 4140. d. 15. Januar. vid. Annunc. B. Virgin.) Ejusdemqve Glorioſiſſimæ *Reſurrectioni* à mortuis & *Triumpho*, olim Sacrum eſſe voluit; JLLA inqvam hanc Ecclipſin impendentem SOLA vidit, & fauſtiſſimo Omine avertit; & *quarto* demum *die* (qvi fieri debebat olim *Natalis* JESU CHRISTI, Terræ REDEMPTORIS Anno Mundi 4141. Menſ. Octobr. die 15.) Solem Lunamque produxit: eoq; ipſo *primo ſtatim Mundi die* Terræ, proclivitatem qvidem ad caliginem brevi ſubeundam, ſed ſimul fatalis ſuæ MISERICORDIÆ ſignum luculenter demonſtravit.

Ex-



Exactis verò annis Mundi 4174. Mense ineunte primo, h. e. die 8. Aprilis (juxta Calend. Julian) feria sexta (♀) quæ erat *quondam Homini Primo Natalis*, SOL *primam Totalem ac verè talem* (qvalem Mundus hactenus viderat nullam) *patiebatur* SUI ECCLIPSIN. Hujus admirandæ Obscurationis causa (I.) non erat, (eadem quæ in ordinariis Ecclipsibus solet esse) scil. *Lunâ:* Hæc enim soli non juncta, sed eidem directè opposita erat (Sole sc. existente in Ariete) Luna in Libra) tempore scilicet Paschali h. e. Plenilunii. Nec est ut qvis sibi velit imaginari, Lunam desubito ex suo loco emotam retrocessisse (ut factum in Sole per 10. lineas in horologio Ahas 2 Reg. 20. retrogrado) ad locum Solis, sicque Ecclipsin (ut alias in Solis Ecclipsibus solet fieri ordinariè) constituisse, Luna enim est Terrâ nostrâ 40. vicibus (juxta Tychonem minor; Sol vero hâc eadem Terra 140. vicibus major: quomodo ergo Luna tegere & occultare terram, h. e. prohibere potest, quo minus radii luminis ex sole prodeuntes Terræ multas regiones non tangant? Hæc verò Ecclipsis fuit *Universalis*, juxta effatum S. S. ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν *super universam Terram*: Verum in Solis Ecclipsibus, quæ â Lunæ interpositione fieri ullo modo possunt, ultra 50. milliaria Italica de nostrâ Terrâ obscurari non possunt. Præterea fuit hæc admiranda Ecclipsis *cum mora*, h.e. duravit ab ipsa meridie per tres horas: [in Vandaliâ hac nostrâ ab hora 10. ante merid. usq; ad horam 1. completam] Omnes vero Ecclipses Solis, quæ â dicta Lunæ interpositione fieri possunt, sunt *momentaneæ tantum durationis in plenâ sui obscuratione*, ob exiguam qvantitatem Lunæ. Hinc quoqve patet (II) Causam hujus Ecclipsis Extraordinariæ non fuisse *nubes*, qvæ supra Universam Judæam subitò coiverint, ut putabat Origenes; Dionysius enim in Græcia, & Chinenses, qvarta ferè totius Orbis Terrarum parte h. e. 1200. milliarib. germanicis â Palæstinâ distantes hanc Ecclipsin observarunt. Neq; *Cineres, Pulvis vel Vapores* conglomerati inq; sublime elevati per Terræ motum præcedentem fuere in causa; ut solet aliàs quidem fieri in eructationibus Vesuvii, Ætnæ &c: cujusmodi dicitur fuisse Ecclipsis visa sub Domitiano (de qva Dio) cum Vesuvius usqve in Palæstinam cineres evomuit. Ast neqve sic tenebræ fuissent super universam Terram, *nec in cœlo stellæ apparuissent*; qvod tamen factum testante *Phlegonte Tralliano* (Ethnico & Cæsaris Adriani Liberto qui scripsit 70. anno post mortem Christi) *quarto autem* (inqvit) *Anno CCII. Olympiadis, Magna & Excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant Defectio Solis facta: dies hora sexta, ita in*

tenebrosam noctem versus, ut stella in Cœlo visa sint, terraq; motus in Bythinia Nicææ urbis multas ædes subverterit. vid. Chronic. Eusebii.

An dicendum (III) *Cometam* (sub sole motam) *Solem obscurasse*? Sic enim Anno Christi 1450, Cometa Lunam ecclipsavit. Verum neqve hæc causa videtur probabilis. Cometæ enim motus tum fuisset (1.) vel secundum seriem signorum Zodiaci, vel versus Boream vel Austrum vel (2.) secundum rectam lineam deorsum â Sole versus Terram: qvod Anno Christi 829. contigit, quo Cometa ita descendens terram tetigit, & vegetabilia animalia hominesque lethaliter adussit. vid. *Fiornovelius*. *Si prius*: tum cauda Cometæ instar Columnæ seu Trabis, vel antecedentibus, vel hanc Ecclipsin seqventibus diebus observata fuisset: (Hæc enim admiranda Ecclipsis insigniter excitavit ad Cœli observantiam sine dubio tum temporis mortales) de qvâ tamen nil invenitur. Præterea obscuratio facta fuisset sensim (ut in ordinariis Solis Ecclipsibus) imò Majori tarditate, quia Cometarum motus etiam celerrimorum deprehensus est tantum 9. graduum intra 24. horas, adeoq; ferè duplo tardior ipsa Lunâ, Obscuratio autem si tardissimè sensim, atque ex insperato contigisset & qvidem in Sole (intuentes oculos lædente & taliente) non potuisset determinari, quoad sui initium finemque â diversis tam sacris qvam profanis scriptoribus, *præcisè ad idem tempus, & unanimiter*. Obscuratio præterea durasset ultra tres horas, præsertim si Cometa universum Solem obscurasset simulq; universam Terram, idq; obscuratione totali: id enim magnitudinem insignem Cometici Corporis necessariò requirit; Oculatus verò Ecclipseos hujus testis Dionysius *Obscurationem subitò exortam totalem* testatur. Idem confirmat *& Paulus Orosius L. 7. c. 4. ad horam Diei 6tam Sol in totum obscuratus, terraq; nox subitò terris obducta est, impiaq; æternam timuerunt secula noctem; quod Græcorum aliquod Libri testantur qvoq;*

(*Si posteriùs* tum (1.) per aliqvot dies (extra omne dubium) durasset Ecclipsis: ut contigit tempore Caroli M. Justiniani, Constantini e Copronymis ultimi & Anno 1547. qvibus exemplis tamen hora præcisè Obscurationis annotata non est, qvod signum est Obscurationis hujusmodi causam non subitò sed sensim lege naturæ extitisse.) & (2) qvia Caudarum (Cometarum) amplitudo aliqvot gradus Cœli implet (sunt autem caudæ vapores ætherei adhærentes corpori Cometæ) post Ecclipsin hanc vel ante eam Sol pallidus etiamnum permansisset. (3) Obscuratio Solis adhuc tardius qvam in priori contigisset casu. (4) Et qvia Cometæ Corpora sunt non globosa sed *disciformia* (plano-rotunda) & ita moventur, ut

non

non planitiem latam sed anguſtiorem tenuioremqve diſci ſui partem Soli Terræq; obvertant (ut navigia ſecundum anguſtiorem ſui dimenſionem provehuntur) hinc qvamvis maximus Cometa adfuiſſet, non tamen totum Solem obſcurare potuiſſet; ſed illum obſcura qvaſi linea qvadam diſtinxiſſet tantum in medio. Nec eſt ut qvis velit objicere, ſubito propè Solem obortum Cometam, etiam intra tres horas periiſſe; nam Cometæ quo propiores ſunt Soli (teſtibus obſervationibus) eo magis augeſcunt, nimirum ex abundantibus effluviis Solaris Corporis.

An erga (IV.) *Alteratio in ipſo Sole* fuit in admiranda hâc Ecclipſi? Ex obſervationibus qvidem conſtat certiſſimis (vid. Cometograph. Hevelii) nullum in Mundo Corpus naturaliter majoribus alterationibus obnoxium eſſe qvam Solare Corpus: habent enim partes ejus Obſcuriores & lucidiores inſignem mutationem, fumos exſpirant ejus montes, Maria igneos volvunt fluctus, indeqve nubes fuliginoſæ, *Maculæ Solis* dictæ ſæpiſſimè conſtituuntur, Aſia Africaqve noſtra imò tota Terra majores: quæ utique pro ſuæ magnitudinis modulo partem de Solis Luce obſcurant. E. alteratio in Sole potuit fuiſſe & hoc Ecclipſeos tempore plane extraordinaria. Forſan qvod tum temporis, ut in hâc Terra, ita qvoqve in Sole motus extiterint ſubitanei & horrendæ tempeſtates, quales ab initio Mundi non fuerunt; Sicqve ſubitò potuerint fieri vapores & nubes ſeu Maculæ Solem obtenebrantes. Qvæ fuliginoſæ ſulphureæ & inflammationi aptiſſimæ nubes, fuere accenſæ fulguris inſtar deſubito poſt tres horas, ſicqve ſubito hora nona obſcuratio in Sole ceſſare potuit. Sed reddatur h. m. rationi plauſibilis ſubitanea tantæ umbræ ceſſatio, dubium tamen manet an ex iſtis vehementibus ſuppoſitis Solis motibus tam *ſubitò* condenſari potuerit tam ingentis magnitudinis Macula vel Macularum congeries. Craſſiora enim & magna corpora non ſubitò Lege Naturæ condenſantur, motui enim reſiſtunt omnia craſſa: cum minores etiam maculas in Sole qvotidiè fere occurrentes, unico qvaſi ſubitaneo impetu factas eſſe, obſervationibus repugnet. Præterea cum Maculæ Solares ab Orientali Solis parte moveantur in Occidentalem, seqvitur neceſſariò, qvod & obſcurationis receſſus [illegible] redi[illegible] Orientali parte fieri debeat; Dionyſius autem (in Epiſt. 7. ad [illegible]) non [illegible] eadem parte Solis & incidentiam & receſſum umbræ [illegible] ſed è contrariâ potius, h. e. in Orientali parte Obſcuratio Solis incepit, & duravit per 3. horas, & deniqve ab occidentali Solis parte Lumen rediit.

V. Causa ergo probabilior hujus stupendæ Obscurationis fuit, non tam principii, (Lucem in Sole causantis moventisqve) violenta & enormis commotio & materiæ (à Luce) alienæ, umbrosæ & crassæ (ex qva alias Maculæ Solares ordinariè fiunt) eliminatio, excretio, Solisq; depuratio; sed potius anxia qvasi & tremebunda ipsius motûs ejusq; principii cessatio. Ut enim in homine & reliquis animalibus & Viventibus omnibus: (qvis autem animam, plantæ ad minimum analogam, inesse Soli tam efficacissimum influxum omnibus viventibus *ad vitam* manifestè præstanti, deneget?) ad *sensum* rerum suæ naturæ molestarum, exterior superficies corporis (cum subjacentibus venis carnibusque) constringitur, & sanguis non ita liberè admittitur sed in centro retentum anxietatis angustiæq; sensum format, corpus pallidum horridumqve relinqvit: Sic solis lumen constrictis sui Corporis solaris poris-Lumen in centro retinuit suum, tristissimam vero Caliginem in sua superficie monstravit & communicavit huic Universo. Universo, inqvam: non enim *solus Sol* obscuratus est, sed individua qvoq; Terræ Comes & alterum illud magnum Luminare LUNA (quia nullum habet nisi â SOLE lumen) patiebatur Ecclipsin, & qvidem *Geminam*: *unam* eodem præcise obscurationis Solis prædictæ momento, *alteram* vesperi paulo post Sepulturam CHRISTI & SOLIS OCCASUM, cum ipsa (Luna nimirum in Oriente vix supra Horizontem Palæstinæ emergens) esset ingressa Terræ umbram. Porrò tenebris quoqve eôdem tempore insolitis involvebantur, omnes Terræ reliquæ Cœlestes, *Planetæ* nimirum, eorumqve *satellites*: hi omnes enim in se nullum nisi â Solis Lumine Lumen habent. Jmò omnia reliqva Astra innumera (fixæ stellæ dictæ) fuerunt obscurata: nam hæc insitum propriumqve lumen habere creditur magis qvam scitur: imò frustrà creditur, si distantia fixarum â Terra talis sit, qvæ Parallaxin juxta qvorundam observationes, ex terræ orbe annuô admittat, tum sane manifestè Lumen insigne â Sole habent. Nec obstat, *qvod visæ sint stellæ* (juxta Phlegontem) apparere enim & obscuratæ potuere, in hac tenebrosa nocte, sicuti ipse Sol licet obtenebratus videbatur; & Lunæ Corpus ecclipsatum subrubentis carbonis instar solet apparere. Et posito tandem stellas fixas proprium habere Lumen, adventitio tamen & auctiori Lumine, qvod â sole ipsis obvenire solet, tum certò destitutæ fuerunt, &, si lumine non penitus omni, insigni tamen sui luminis parte, & influxu reliqvo à Sole oriundo fuerunt privatæ. Jmò qvi ini omnia Astra, qvæ extra controversiam à SOLE JNCREATO suum habet omne Lumen, & qvæ *in exortu suo Creatoris sui Providentiam lau-*

laudarunt in Orbis Natali Job. 38. 7. quidni, inqvam, Jlla & tenebris suis luctuq; glorificare debuerint Anxietatem ORBIS REDEMPTORIS in altera Orbis Natali ?

Sed tandem rationes subducamus & scrutemur quid hæc sibi voluerit Admiranda Caligo ? Eqvidem Experientia docuit, qvod ordinariæ Solis Lunæqve Ecclipses totales, morbum vel mortem difficulter evitandam brevi portendant illis, in cujus Loco adscendentis - vel Solis vel Lunæ nativitatis contingunt. Hoc probavit Episcopus Qvinqueccclesiensis, qvi inter varia alia Mathematica, propria manu scripsit ad Johannem Prætorium. Acad. Altorf. Mathes. Professorem seq. *Ecclipsis Lunæ die 15. hujus Mensis incidit in Aqvarium, ubi meus est Horoscopus : si vera est Astrologia, mortem mihi affert vel gravissimum aliqvem morbum. Tu quid censes ?* & paucis diebus interjectis occubuit. Vid. Obs. Halens. Tom. V. it. Placidum de Titis. &c.

Hæc vero Universi Caligo dilucidè monstrabat Totius Mundi rem agi ; non mortem, sed Vitam æternam terræ filiis toto Cœlo aberrantibus portendebat : imò influxu suo efficaciter aptos reddebat mortalium animos ad Fidei Lumen Religionisq; Veræ cultum suscipiendum. Memorabile omnino est, quod in Chinensium Annalibus Hanc Miraculosam Solis Obscurationem exacte notatam invenerint rerum Chinensium inter scriptores alios *Gabiani* & præsertim *Andreas Müllerus*: qui posterior jussu Potentiss. Electoris Brandenb. S. B. FRIDERICI WILHELMI M. instituta diligenti de Jlla Ecclipsi inqvisitione seqq. in Chronico qvodam Regum Sinensium invenit: *Anno Septimo Jmperatoris Quanquuti, primo Vere Mense tertio* (tempore exacte coincidente cum Passione NOSTRI REDEMPTORIS) *Solis est facta Obtenebratio Maxima densaque; quam Imperator ut vidit, animo perculsus judicavit : Hanc Ecclipsin oriundam esse ab existente Potentia quadam in Natura rerum summa: hincq; usitato hactenus Jmperatorio cognomine XIM* h. e. *summus seu Sanctissimus*) *per solenne edictum se abdixit.* Faustus mentis humiliatæ ausus, enitentis ex densa Jdololatriæ caligine ad Diluculum Veritatis! Propius vero feliciusqve ad clarissimam Lucem progressi sunt testes oculati hujus sanctæ Ecclipsis, Apollophanes cum Socio Dionysio Areopagita ; cujus posterioris verba perhibentur: *Aut Deus patitur, aut Mundi Machina peribit.* Verba altioris indaginis, & rationis humanæ sibi relictæ vires transcendentia, ferèqve Prophetica ! si vera: Esto: ruinam terræ, intuitu improbitatis seculi augurari; JUSTUM qvoqve DEUM esse, & terram propter hominum improbitatem jam semel afflictam fuisse, ex probantibus Diluvium indiciis (quæ etiamnum super sunt sat multæ & manifestæ) scire potuerit ; qvomodo vero ad DEI PATIENTIS cognitionem pervenire potuit ? Credendo nimirum

rum

tum ſe perveniſſe, monſtrat Dionyſius ipſe in Epiſtola ad Apollophanem; *poſtremo inquit, ad notatum diligenter feriæ diem & annum, annunciationem, quam ſacer Paulus, noſtris attentis auribus incudit, conſentientibus ſignis conteſtrare & concordare expertus, manus veritati ſubmiſi & falſitatis, nexibus ſum abſolutus*, vid. Riccioli Almageſt.

Et hac ratione hæ ſanctæ Tenebræ teſtes & prænunciæ quidem fuere Luminis in æternum effulſuri; aſt viam ad illud perveniendi demonſtrat Solius DEI VERBUM; ex hâc Aſtrologia, non ex noſtra Ratione diſcimus, *Punctum unicum*, illudqve reſpectu Vaſtiſſimi Cæli exiguum & contemptibile, triſtibus hiſce ac ſtupendis tenebris obſcuraſſe maxima Univerſi Lumina; illa inqvam Terra qvæ propter filios ſuos in CREATOREM OPT: MAXIMUM ingratos maledicta erat, quæ triſtes ſpinas ac ſterile lolium dabat pro ſegete læta, & hinc tandem ſubmergebatur cum omni peccatorum illuvie diluvio iræ DIVINÆ; eadem nihilominus minuta & indigna Sphæra Circumferentiam, DIVINI AMORIS JMMENSAM Centro complectebatur ſuo. Jn hoc *puncto* ſibi ingens Amphitheatrum conſtituebant tam JUSTITIA TREMENDA qvam MISERICORDIA ÆTERNA; utraqve flagrabat ardenti deſiderio SIBI ſatisfaciendi. ILLA exigendo pænas ſecundum rigorem; HÆC JUSTITIÆ inveniendo ſatisfactionem infinitè ſufficientem ſecundum Gratiam; UTRAq; efficiendo, ut DEUS neq; UNIGENITO pepercerit FILIO SUO, QVEM dedit huic Terræ quia quid pretioſius, quo perditam æque ſuo excuſſam redimeret; quia quid Celſius quod in pignus SUÆ DILECTIONIS redemptæ daret, non habuit; dedit Fidejuſſorem in qvo ſeveriſſime peccata omnium punirentur hominum; dedit ut Terram indueret & fieret Homo, qvi poſt exactam in adverſitatibus infinitis vitam, per tormenta, æternamqve pænam VITAM cum SANGVINE funderet SUO. Lugubre tempus, quo DEUS moritur! qvo Creaturæ omnes publicas parant exeqvias! Saxea Terra Cruore IMMENSI JEHOVÆ conſperſa inter tot Ecclipſes contremiſcit; & quia intra ſua clauſtra ORBIS CONDITOREM recondere debet, fatiſcit & rumpitur! Sol, ad JUSTITIÆ SOLIS ECCLIPSIN, patitur deliquium & occidit in Medio Cœli! Omnia Lumina, quia LUMEN JNACCESSUM Horizontum ſubit, obtenebrantur! Hujus Publici Luctus memoriam O CIVES quam Angeli Venerantur & Dæmones formidant, & nos Chriſtiani ſobriè piè, menteque devotiſſimâ celebremus. Cognoſcamus ineffabilem illum erga nos AMOREM, qui ſuperat omnem intellectum; ſincerè HUNC redamemus, qui nos amavit prius usque ad *Mortem* & Infernum. Timeamus vero ſimul JUSTITIÆ DIVINÆ quem ſpectavimus Rigorem, deteſtemur fœditatem voluptatum; fugiamus delicias luxuriamque *Membra*, quando Caput noſtrum Sanguinem ſtillat; Reſpiciamus maledictionis Caliginem æternam qua rei eramus, atqve etiamnum ſunt illi qui hanc æternam ſeu infiniti valoris Redemptionem contemnunt. Qvas infelices tenebras prohibeat à nobis omnibus LUMEN ÆTERNUM per SANGUINEM REDEMPTORIS NOSTRI, cui ſit Laus & Gratiarum actio in ſecula æterna!

P. P. Sub Rectoratus Academici Sigillo Domin. Quinqv. A. MDCCIX.